





30. Finis. 62
Q. D. B. V.

DISSERTATIO LOGICO-POLITICA,
**DOMINII EMI-
NENTIS**

clarum & distinctum conceptum
METHODO ECLECTICA

indagans,

QUAM

PRÆSIDE

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
atque DOCTISSIMO

M. GEORGIO PAULO ROETENBECCIO,
Logicæ & Politicæ Professore Publ.

longè celeberrimo, & Facultatis Philosophicæ

h. t. Decano.

DN. PRÆCEPTORE ac FAUTORE suo quovis reverentia
cultu et atem prosequendo.

ad d. 29. Jan. Anno MDCCVII.

Examini publico subijciet

JOHANNES FRIDERICUS BZÜGEN/
Stuttgartia-Würtembergicus.

ALTDORFI

Literis Jodoci Wilhelmi Kohles.

VIRIS
PRÆ-NOBILISSIMIS, PERSTRENUIS, EXCEL-
LENTISS. & EXPERIENTISSIMO

DN. JOH. FRIDERICO



Potentissimi ELECTORIS PALA-
TINI, ut & Sereniss. ac Reverendis. EPISCOPI
AVGVSTANI, nec non Reverendis. S. R. I. PRINCIPIS ABBATIS
Ducalis Ecclesiæ CAMPIDONENSIS ARCHIATRO circumspectissimo, Li-
beræ denique REIPUBL. IMPERIALIS CAMPIDONENSIS PHYSICO
optimè merito, octoginta trium annorum SENI, Avoq;
suo maxime venerando;

ITEMQUE

DN. ANDREÆ INGOL-
STÆTTERO,

Serenissimi DUCIS WURTENBER-
GENSIS Confiliario solertissimo,

Parenti suo colendissimo,

Disputationem hanc Academicam

in

grati & observantissimi animi testificationem,
pro innumeris acceptis beneficiis

dat. dicat. consecrat

Nepos ac Filius obsequentissimus

JOHANNES FRIDERICUS

LL. Studiosus.



CAPUT I.

De Vocis Origine variisque significationibus.

THESES. I.




Obilissima de *Dominio Eminente* doctrina quam necessaria tam intricata & difficilis apparet, eam maximè ob causam, quod vox ipsa magna labore ob scuritate: quam proinde remove prius, eamq; ad distinctiorem aliquem revocare Conceptum necesse habebit, qui difficultatem difficultatibus cumulare multasque quæstiones, facile alioquì expediendas, indeci- fas relinquere, vel lubricis excipere responsis nolit.

II. Ut verò de *Origine Vocis* prius aliquid adducamus, quam ad *Vocis Au-*
 cetera progrediamur, sunt, qui incunabula ejus ad *Grotium* referre ve-
 lint, tanquam hic omnium primò ad Majestatem integram, vel ejus
 partem exprimendam, hanc Vocem adhibuerit. Ita enim persuasum
 fuisse celeberrimum *Conringium* ex Disputatione ejus de Do-
 minio eminente, Thes. II. colligas; Ubi, *primus*, inquit, *certè omni-*
um in tam multis inusitati prorsus ille Ingenii Hugo Grotius licet
novo, elegantissimo tamen, Domini eminentis atque supereminentis
Vocabulo rem omnem expressit; id quod et Arnisaus in Tr. de Potest.
Majest. in bona privatorum, per Domini universalis Vocem significa-
re, alii verò Imperii nomine, alio deniq; alii indigere voluerunt. Quo
inclinasse etiam Ingeniosissimum Bæclerum ex seqq. sui ad Grotium
Comentarii verbis pag. 85. cognoscimus, cum ait: loquendi ad hunc
modum Auctoritatem fecisse potius, quam à veteribus accepisse cen-
sendus est Grotius. Quibus verbis excusare Grotium contendit, quod
 novo vocabulo rem eam enuntiassè fuerit ausus.

An Grotio
antiquio-
res.

4



III. Sunt verò rursus, qui *Grotium* Authorem hujus nominis agnoscere nolunt: quorum ex numero est *Joh. Frid. Horn.* qui in *Polit. sua Archit. L. II. c. 4. §. 5.* apertè reclamat: *Ipsam vocabulum,* inquit, *non omnino primum à Grotio excogitatum, inde conjicio, quòd Dominium Excellentie, quòd Deus habet in res omnes, etiam in possessiones privatas, apud moralium DD. occurrat.* For san ex imitatione, *Vicario DEI* Dominium eminens adscriptum est. Apud *Navarrum* quoque reperio, post Imperium regum in univèrsum *Orbem Terrarum, Christo assertum,* Dominium in res singulas propter Imperium, *Servatori secundum Humanitatem vendicatum.* Quòd Dominium recentiores vocant medium, inferius quidem Divino Excellentie, sublimius tamen illo vulgari humano utilitatis. *Hornianæ sententiæ* accedit eruditissimus ejus Commentator *Epsteinus.* non tantum in annotatis ad præsentem locum pag. 378. sed & ad superius Cap. 2. §. 2. pag. 189. ubi plenius id seqq. confirmat verbis: *Quòd appellationis hujus Originem attinet, non videtur nobis, Grotium quiddam novum dicere voluisse, sed loquendi hunc modum sumsisse à Moralistis, quorum nonnulli Dominii voce latissimè utuntur, quatenus tum in Personas, tum res subjectas jus superioris notat, idque distinguunt in Dominium Jurisdictionis, quòd Personas, & proprietatis, quòd res concernat: utrumque DEO competere dicunt eminentissimè, ab eo autem Principibus & Civitatibus & singulis hominibus impertiri: vid. Leonh. Lessius de Perfectionibus Divin. L. X. c. 1. & seqq. Dominium Jurisdictionis alii quoque vocant, quòd suprema potestati in res privatorum competit, vid. Molinæus de J. R. I. Tract. 2. Disp. 25. & alii adducti ab Arniseo, Tr. de Jur. Majest. L. 3. c. 1. §. 4. Atque hoc ipsum Jus intellexisse etiam Grotium nobis videtur, quoties emin. aut superemin. Dominii mentionem facit. Lessio, quem Epsteinus hic loci citavit, addere licebit *Card. de Lugo,* ad quem hæc in Materia nos ducit clarissimus *Johan. Christoph. Beckmannus,* in *Medit. Polit. 21. §. 12. ubi: ante Grotium, inquit, & Card. de Lugo hoc termino usus fuit, ut: Princeps & Republica habent quoddam Dominium altum & eminens in bona subditorum, quæ in*
casta*

casu necessitatis communis possint distrahere. *Tom. I. de F. & F. S. 1. n. 9. quod allegat Crusius de Domin. emin. Cap. 1. §. 3.*

IV. Fallor? an in ipsis sacris literis aliquod ejus apparet vestigium? utpote cum *Romanor. XIII. v. 1.* expressa mentio fit *τῆς ἐξουσίας ὑπερ-εξουσίας*, id est *potestatis supereminentis*, nisi quod pro Voce *Dominii* nomen *potestatis* occurrat, quas voces alias etiam inter se permutari non raro contingit. Quæ ipsa sane non parum confirmare videntur, Inventorem nominis hujus *Grotium* haud fuisse.

V. Forsthan autem ad conciliandas has in speciem pugnantes sententias facere posset distinctio inter Vocis alicujus *usum primum simpliciter*; & *usum primum in certo genere*, sive, ut laudato Domino *Becmanno* loqui hic placuit, inter *fortuitam adhibitionem Vocis*, & *ejusdem in communi usum factam translationem*. Posterior (ita pergit) *novus esse potest, priori interim antiqua manente: sicque ratio status fortuito à Tacito usurpata; sed Italos nihilominus debita gloria hac in re manet; cum eandem primò publici usus fecerint. Similis questio est, quam Grotius movent, de usu termini Dominii eminentis, objiciuntque, itidem termino hoc jam ante eum alios usos fuisse. B. non querendum esse, an terminus aliquando adhibitus fuerit, sed an eo ipso publici usus esse cæperit; & in specie, an terminus rationis status, vel Dominii eminentis communi usu receptus fuerit, antequam Grotius vel Itali eum hunc in finem adhiberent.* *Polit. parall. Dissert. 3. §. 2.* Circa quod exemplum tamen monendum videtur, disparitatis aliquid in hoc se offerre, quod *ratio Status* apud *Tacitum* aliosque veterum ita *conjunctim* non reperiatur, quemadmodum apud recentiores, apud quos immediata vocum illarum conjunctio tam crebra & arcta conspicitur, ut iam unam quandam Vocem coaluisse utræque videantur; cum è diverso *Dominii eminentis* Voces, ante Grotium quoque, immediatè inter se unitæ apud nonnullos legantur, sicut ante vidimus.

VI. Quod sit tamen vel maximè ultra *Grotium* natales nominis hujus deducere haud quaquam liceret, ob solam, credo, *novitatem*, repudiare hanc Vocem vix (imò tanto minus) liceret, quanto frequen-

tus recentia nomina rebus plurimis, eum in aliis Disciplinis, tum in Morali ac Civili, indere solemus. Cujusmodi excusationem modo laudatus *Baehlerus*, ut ex verbis ejus jam adductis constat, ratam quoque habet.

An vox
inproban-
da.

VII. Num tamen *Domini eminentis* Voce innocenter plane uti liceat, ex alio quoque Capite quosdam dubitare, imò à Nomenclatura hac, tanquam periculosa & noxia, abhorrere prorsus animadvertimus. Grande sane Jctorum quondam decus, *Zieglerus*, in Commentario suo Grotiano p. 46. *justa causa*, ait, *quæ cum necessitate & utilitate publica est conjuncta, Principi hoc permittit, ut bona subditorum, etiam non consentientium, alienare possit. Etsi enim lex naturalis alteri suum auferre prohibeat, lex tamen alia superior jubet, ut salus publica procuretur.* Perez, in Cod. l. 10, cit. 6. Ut verò *Dominium aliquod eminens inde cum Grotio exstruamus, nulla ratio cogit. Ipsa enim Vis Imperii, propter salutem publicam instituti, sufficientem Principi Titulum præbet, urgenti necessitate utendi bonis suorum subditorum, eò quod omnia ea simul concessa intelligantur, sine quibus obtineri Bonum commune non potest. Ambitiosum est Vocabulum Domini, idq. Principi si tribuendum fuerit, vereor ego, ut in officio suo contineri semper possit ille, quantumvis optimus & integerimus; quod multa secum afferat ejusmodi fortuna, quæ à recto discernere soleant. Et quid verò metuendum erit tum, ubi Principi id suggeris, rerum imperito, privatis intento commoditatibus, publicarum utilitatum pene hosti, addicto Voluptatibus, & fori libertatis ac Veri, nihil minus quam salutem Reipubl. cogitanti, sed omnia sua libidine, suisque commodis metienti; tum verò quæ subditorum futura sit conditio, facile omnibus constat. Simili censura Grotium perstringit *Feldenus* in Annotat. ad Grot. p. 15. statuit *Grotius*, inquit, Imperantes majus Dominium habere in res singulorum ad bonum commune, quam Domini singulares: quod obscurum admodum est, & videtur Author confundere Dominium rerum cum Imperio, aut ad minimum Imperium herile & Tyrannicum cum Civili. Nam Imperium civile non Dominium comprehendit in res singulorum, sed*

dispo-

disponit circa mores Civium, seu justam universalem. Quia verò munus civis exigit, ut omnia bona pro salute patrie profundat, ad ejusmodi actionem virtuosam Imperans subditos cogere, ac nisi utroque faciant, vel auferendo, vel pœna coercendo vim addere potest. Non tamen Dominium absolutum in bona civium eidem competit.

VIII. Sed enim uti carpendos ne utiquam putamus, qui *Dominii* Negatur. eminentis voce uti negligunt, alio interim nomine rem eandem experimentes, utpote vel per *Jus Dominationis* (ut *Claymarius* de arcanis rer. publ. L. 4. c. 2. & *Boxhornius* in Instit. Polit. L. 1. c. 6.) vel per *Dominium universale* (ut *Arnis* Lib. 3. de Jurib. Majest. Cap. 1. §. 4.) sic à nimio rigore vix absunt, qui à voce hac, eo quòd in sinistram accipi partem possit, ejusque aliquis abusus interveniat, penitus abstinendum esse censent, quamvis ex nativo & Originali suo significatu nihil pravi necessariò importet, crebriorque ejus usus ad talem significationem eam determinet, quæ nihil quoque sinistri involvat, quemadmodum ex §. 41. infra apertius id fiet.

IX. Rectè proinde *Epsteinus* supra citatus p. 377. non tam rem, inquit, quam nomen *Dominii* eminentis multos fastidire, videtur. In causa fuit vaga partim, partim despotica multorum explicatio, cui si substituatur civilior & plana, facile cum cordatis omnibus transigemus. Cui & succinit *Illustr. Puffendorffius* de J. N. G. Lib. 8. Cap. 5. §. 7. *Ziegleri* verba tacitè simul refutans his verbis: *Dominii* emia. non tam rem, quam vocabulum aliqui damnant; ipsam enim vim Imperii, propter salutem publicam instituti, sufficientem Principi Titulum præbere, urgente necessitate utendi Bonis suorum subditorum, ed quod omnia simul concessa intelligantur, sine quibus obtineri bonum commune non potest. Ambitiosum quoque esse id Vocabulum, quo mali Principes abuti possint, ad dissipandas subditorum facultates. Verum uti de Vocabulis litigare supervacuum est; ita particulam Imperii, qua certo sese modo circa certam rem exerit, peculiari nomine insignire, non præter rationem est. Consule *Excellentis. Dr. Henr. Hennigen* in eruditiss. Tractatu de summa Imperatoris Rom. potestate circa sacra Cap. 9. §. 2. p. 76.

X. Ju-

Significatum
una varietas

X. Juerit proinde varios, quibus *Vox Domini eminentis* sub-
stare cognoscitur, *significatus* specialius considerare, distinctiusque
evoluere; notatis insimul variis, unde dissensas ejusmodi emanarunt,
fontibus, quo Authores hac de Materia toties loquentes, vel scri-
bentes, rectè intelligere, illorum contentiones ac Litigia, in Logo-
machias frequentius, quàm capitales pugnas erumpentia, concilia-
re vel sopire, obscure dictis quam plurimis lucem affundere, quodq;
præcipuum est, ex tot significatibus convenientissimum, Eclectico-
rum more, eligere, eumque à sinistris aliorum interpretationibus
liberatum securius adhibere queamus.

Quæ cau-
sa.

XI. Et causam quidem variorum hac in *Voce significatum*
quod attinet, partim ea (& maximè quidem) inde arcessenda venit,
quod in *Objecto Domini* hujus designando perquam dissideant
Authores Politici & Jurisperiti (aliis magis, aliis minus id patere ar-
bitrantibus) partim varietatis hujus ratio hinc pendet, quod *causam*
impulsivam diversimodè expriment Scriptores, ut nova significa-
tum vel extensio vel restrictio hinc emergat; aliis quippe ad *ne-*
cessitatis casus extraordinarios Dominium eminens restringenti-
bus, aliis amplius, & ad *ordinaria* usque extendentibus. Neque
nihil ad hanc significatum varietatem conferre insuper videtur
ipsa *Majestatis* ejusque *Jurium* consideratio, aliis certum *Maje-*
statis Jus, à ceteris Juribus *separatum*, per Dominium eminens
intelligi statuentibus, aliis tanquam *appendicem* certi cujusdam
Juris Majestatici illud considerantibus, aliis tanquam singulis *Maje-*
statis Juribus innexum vel agglutinatum quasi concipientibus. De-
nique etiam, cum circa *Dominium eminens* in contentionem & hac
veniret, *utrum illud Dominium verum sit*, ad variandas notiones
hæc & hunc dissensum aliquid contribuuisse, nequaquam viderur
negandum.

Significatus
quatuor.

XII. Jamque aded si discrepantes *Domini eminentis*, quas in va-
riis hac de Materia scriptis attendimus, notiones, eo ferè, quo secun-
dum diversæ latitudinis gradus se excipiunt, ordine enumerare con-
tendamus 4. *segg.* sese prodeunt celebriores *significatus*.

XIII. Pri-

XIII. Primus sc. est *strictissimus*, secundum quem *Dominium eminentis* tam ex parte *Objecti* ad bona *subditorum*, quam ex parte *causae impulsivae*, ad *necessitatis* casum restringitur. Cujusmodi acceptio est illustris *Puffendorfi*, qui Lib. 2. de *Offic. hominis & civis* Cap. 15. §. 5. sequentem in modum illud describit: *Dominium eminentis in eo consistit, ut urgente Reipubl. necessitate, bona Subditi cujuscumque, quibus praesens tempus maxime opus habet, ad usus publicos arripi & applicari queant; licet ista longe superent ratam partem, quam is ad sumptus Reipubl. conferre tenebatur. Qui & in Tr. de J. N. & G. loco ante citato, quantum ad causam impulsivam, expressis verbis hisce testatur, Dominio eminenti locum non esse, nisi Reipubl. necessitas requisiverit. Cui significatui applausisse etiam videtur *Josach. Neizer*, in *Exercit. Academ. de Majest. Dom. superemin. in bona Civium*; qui *Commate VI.* sic definire voluit, *Dominium Supereminens est Dominium privatorum rebus adhaerens, cujus virtute illis Majestas in Reipubl. ad bonum commune, tempore necessitatis & utilitatis publicae, uti potest, summodo ex publico compensatio fiat.* Ut ut enim, praeter necessitatem, *boni publici* fiat mentio, seq. tamen §. 4. quid *utilitatis publicae* nomine intelligendum veniat, satis declarat; quippe quam *Baeleri* verbis, ex *Commentario* ejus in *Grotium* pag. 89. desumptis, sic explicat. *Hinc probe intelligitur, utilitatem publicam, quae subsidiaria ope Domini eminentis explicatur, non illud significare, quod ad pleraque omnia civilia instituta pertinet; quid enim est vel Jure vel more civili introductum, quin utilitati publicae servire & dicatur, & patetur? Sed exquisitiori loquendi genere ad necessitatis Imperiosas rationes adstringi, sicut necessitas, morali definitione, ad finem consequendum citra fucum & cavillationem dirigitur.* Talis significatus quoque *Joh. Schmideli*, in de *emin. Domin.* *Disputatione, Th. ult. definiens*, quod sit *Jus, quod Civitas habet in res privatorum, necessitatis publicae casu exercendum.* *Consentit & Author Sciagraphia, Juris Naturae Artic. 21. n. 16. Dominium hoc exponens, quod sit, quo res, quae aliis specialiter sunt singulorum, ob necessitatem communem ab Universitate vendi-**

Primus.

B

vendi-

vindicantur sibi in solidum, sed cum onere compensationis ab Universitate obtinendæ, quantum per naturam rerum & causas alias est possibile.

Secundus. XIV. *Secundus Significatus* paulo latior est, ad bona Subditorum quidem restrictus quoque, non tamen ad casus necessitatis, aut aliquid extraordinariū. Quem significatum valde arrisisse cernimus *Hornio*, ejusque Defensori ingeniosissimo, Excellentis, DN. HENNINGI; quorum ille loco supra laud. Cap. 4. §. 5. n. 9. sic definit; quod sit *Summa Reipubl. potestas, disponendi de rebus privatorum*. Et hic in *Commentar. Grot. p. 60.* simili ratione *summam in Civitate potestatem, perfecte disponendi de rebus privatorum, esse*, ait. Premit quoque hunc significatū pollice suo *Dan. Clasen* in *Polit. Compend. Lib. 3. Cap. 10. §. 2. pag. 453*; ita illud circumscribens; quod *constat in Summa potestate Principis alterius Reipubl. in possessiones & bona Civium, ob utilitatem publicam, ita ut ex equitate quadam is, qui exinde damnum passus est, per compensationem sublevetur*. Suffragatur item huic significatus *Sebast. Kirchmajer*, in *Dissert. sua Polit. de Dominio eminente. §. 5.* sequentem descriptionem proferens: *Dominium eminens est Jus Majestatis majus, vi cuius illa ex Jure Divino atq; Gentium potissimum de subditorum suorum bonis & possessionibus tantum in Casu sumæ & necessitatis, & publicæ utilitatis, ut liberè, sic moderate disponere potest, in totius Reipublica salutem*. Nec videtur significatum hunc respuere *Epsteinii* ad *Hornium* pag. 298.

Tertius. XV. *Tertius* hunc excipit *significatus*, iterum paulo amplior, ratione *Objecti* scilicet (non tamen ratione *Causæ impulsivæ*) quo scilicet non in bona tantum, sed & *Personas Subditorum* Dominium, non tamen nisi ad *extraordinarios & necessitatis easus* restrictum, hoc nomine denotatur. Perquam solliciti sunt in significatu hoc adstruendo *Clariss. DN. J. C. Becmannus*, & *Beat⁹ Joh. Paulus Felwinger*, quorum ille in *Medit. Polit. 21. Th. 1.* hanc suppedicat definitionem; quod sit *facultas transferendi privatum Jus subditorum ad necessitatem publicam*; & in *Parall. 21. §. 3.* *Dominium eminens*, inquit, *facilius*

non exprimitur, quàm esse exercitium Jurium Majestatis, sive potestas Reipubl. in Casu necessitatis. Sed hic integra quadam de definitione Domini eminenti conscripta Disputatione Logico-Polit. non tantum filii sui *Joh. Fodoc. Felwingeri* in Disputat. quadam Juridico-Politica, de Domin. emin. habitâ, prolatam definitionem (quod scilicet summa potestas extraordinaria, quam Respubl. Jure Gentium habet in Civis, illorumque bona, extrema necessitate urgente exercendam, usus publici bonique communis causa, ita tamen, ut compensatio, si fieri possit, vel remuneratio subjungatur. §. 1. cit. Disput.) sed & alias similes Authorum, significatui huic respondententes, definitiones acriter defendit; utpote DNI *Innocentii ab Einsidel* in Disputatione quadam, sub Præsidio *Philippi Richterri* Jenæ habitâ, Sect. 2. §. 1. sic definitis: quod sit legitima quadam potestas ei, qui ad clavum Reipublice sedet, & Majestate gaudet, in Civium, & Subditorum etiam invitatorum Personas, Res, & Actiones competens, introducta contra Jus commune, sive ordinarium, certis autem limitibus totius Reipubl. salutis & securitatis, maxime urgentis necessitatis, rei, in qua ea ipsa exercetur, magnitudinis, ut & æquivalentis compensationis præstanda iis, quibus ex his Causis aliquid deest, adstricta: Nec non *Salom. Zapffii* in Disputatione, hac de Materia quoque *Tubingæ* habitâ, Thes. 26. brevius ita circumscribens: quod sit potestas quadam extraordinaria, in subsidium utilitatis aut necessitatis publicæ, contra Jura communia aut ordinaria. Celeberrimum etiam *Bæclerum* huic subseripsisse significatui, vix est, ut dubitemus. Quamvis enim expressam Definitionem non dederit Vir summus; quæ tamen in *Disquisitione de Dominio eminente*, Commentario ipsius *Grotiano* inserta, legimus, sic se habent, ut pro statuminando hoc significato multum faciant.

XVI. *Quartus* iam sequitur *significatus*, itidem prioribus anteprior, eò quod nec ratione objecti, nec ratione causæ impulsivæ, restrictio seu limitatio aliqua in eo supponatur, sed res pariter ac Personæ subditorum, tam quoad necessitatis casus, quam extra hos, ad ambitum Domini eminentis per eum revocentur. Cujusmodi signific-

catum proderet videtur celeberr. *Coring.* Disputat. de Dominio eminente in cuius Th. 13. sequens extat Definitio: *Dominium eminens est Jus sive facultas quedam suprema, competens summa potestati Civili in Civem, & res Civium, boni tantum communis Causa.* In qua definitione explicandâ, sic etiam versatur ipsa illa, quanta quanta est, Disputatio, ut latioris hujus, & à prioribus discrepantis, significatus indicia exhibeat quàm luculentissima. Et prævisse quidem hunc significatum ipsi videtur *Grotius*, qui Lib. I. de J. B. & P. Cap. 3. §. 6. n. 2. simili ratione *Dominium emini.* descripsit, dicendo: *quod civitas illud habeat in Civem, & res civium, ad usum publicum; qui tamen ipse etiam supra Cap. 1. §. 6. facultatem eminentem eam esse dixit, qua communitati competat in partes, & res partium, Boni communis causa.* Cujus *Grotiana* definitionis sensum expressiorem his quoque verbis nobis dedit *Epstein* in Horn. p. 290. *Dominium eminentens*, inquit, *hic* (ad locum priorem respiciens) *accipi potest Jus Majestatis, quod competit in res Civitatis, & Civium, ad usum publicum, quocumque ordinario, sive extraordinario modo exercendum.* Negari tamen vix potest, hac in Doctrina obscurum interdum videri optimum *Grotium*; cujus proinde Textibus, hac de Materia agentibus, multum lucis est affundere conatus *Epsteinus*, loco citato.

CAPUT II.

Principia Epicriseos proponens.

THES. XVII.

Nunc ut de significatibus huc usque recensitis exactius judicare, & quonam horum maximè standum videatur, exercitil gratiâ determinare nobis liceat, complexa vocis hujus partes *separatim* quoque nobis erunt expendendæ, quidque cum Vox *Dominium eminentis* importent, clareque significant, inquirendum, nec non de *Majestatis in Jura sua divisione* quedam in medium afferenda.

XIIX. Quod dicitur *Terminus Domini* attinet, quamvis negari haud possit, vocem hanc cum *Imperii* voce ita quandoque misceri & permutari, à loquentibus ac scribentibus, plebeis a què ac eruditis, ut altera pro altera valeat, invicemque æquipolleant. Quamvis item *Imperium Despoticum*, sive *Herile*, *Domini* ac *Dominatus* nomine quam significantissimè exprimi putetur; illud tamen etiam non aded inviti nobis largientur eruditiores saltem (cùm de vulgari ac plebejà lingua solliciti nunc non simus) quod, Doctrinæ melioris gratia, *Dominium* ab *Imperio* quàm convenientissimè distingui, illiusque *Objectum Persona*, seu *agentia ratione* prædita, *hujus* verò *res, bona*, seu *possessiones* agnosci queant. Ut enim *Imperio* respondet *Obsequium*, hoc est, *propositum explendi mandata*, utpote non nisi *Personis* competens; ita *Dominio* respondet *Proprietas*. Bene hinc *Puffendorf.* de *J. N. & Gent.* VI. 3. 7. ait; *Imperium propriè est Jus regendi alterius Personam.* Et post pauca: *licet quilibet imperans de Subdito suo dicere queat, hic meus est, ea tamen proprietas diversa plane est ab ea, qua quis rem aliquam suam dicit.* *Priori enim locutione hoc tantum significatur, mihi & non alteri competit hoc jus hunc hominem regendi, sic tamen, ut & mihi aduersus eundem aliqua sit obligatio, nec in infinitum illud Jus exerceri queat.* *At proprietas, qua rei tribuitur, involvit Jus, ista re utendi, abutendi que, eamque consumendi ex meo commodo aut libitu, sic, ut qualitercunque eandem tractavero, injuria non sim reus, sed ad excusationem sufficiat dixisse: hæc res mea est.* Extant pro strictiori hoc *Domini* & *Imperii* significatu egregia *DN I HENNIGIS* verba, in supra laudato *Tr. de Summ. Imp. Rom.* postest. circa sacra pag. 787. *quamvis extra artis institutum haud difficiles simus à sensu nostro, veterum exemplis, Dominos & Dominia latius dicta esse, quam ut sola bona, & possessiones capiant; tamen eum in docendi habitu singula, quantum fieri potest, technicis suis & distinctis vocibus explicanda sint, & procul dubio verò homines, qui rationis, iudicii & libera electionis capaces sunt, pleniore sensu recipiant Imperium, quod regulam modumque actioni ponit, quàm*

Dominium
quid signi-
ficeat

Dominii indeterminatam vim, sine prævio mandato raptantis res ad suum finem, melius erit, aliquam inter hæc nomina differentiam constituere, quando ex disciplina ingenio loqui volumus; nam pro vulgari more, neque nobis religio erit sive ista permiscere, seu vicissim substituere. Saltem igitur in foro Politico, aut Morali, pro significato convenientissimo hunc ipsum habendum esse, non facile quisquam inficiabitur.

Quid rō
Eminens.

XIX. Quantum verò ad Vocem *eminens*, seu *eminenter* tale, attingit, certum sane ac indubium est, præcipuum aliquid, præstantis, aut *eximium*, altumque voce illa designari. Sed in specie tamen significatus ejus in hoc variat, quòd *eminenter* tale illud interdum nominetur, quod revera possidet, & *formaliter* in se habet illud ipsum, quod *eminenter* illi inesse dicimus: Sicut exempli gratia *Deus* eminenter *sapiens*, eminenter *bonus* dicitur, propterea quod bonitatem & sapientiam verè & *formaliter*, ac in gradu insuper excellentissimo, habeat. Sub quo significato rō *eminens* rō *formali* non tam opponitur, quàm *contradistinguitur*: sapius verò rō *eminens*, & *eminenter* tale, oppositè ad illud, quod formaliter ac *proprie* tale est, concipitur: quomodo *solem eminenter calidum* Aristotelici appellant, cui calorem formalem inesse negant; sic *corpora* etiam *eminenter* dicunt esse in *Deo*: cùm tamen *Deus* propriè non sit materialis, vel corporeus. Ita *cos eminenter* dicitur *habere acumen*; cùm tamen *formaliter* & *proprie* non sit acuta: vid. egregius de illo locus *Lessii*, in *Scherzeri* Vade mecum p. m. fol. 323.

Jurium Ma-
jest. divisio.

XX. Sed de *Majestatis in Jura sua divisione* nunc etiam quædam præmittere consultum fuerit. Quandoquidem igitur hæc divisio ab *Objeutorum* varietate maximam partem peti, horumque varietas ex variis rursus fundamentis arcessi consuevit, talique ex fundamento perquam speciosa apparere posset illa à *Bæclero* in *Institut. Polit. Lib. II. c. 2. p. m.* & *Comentario Grotiano p. 208.* laudata *Lampadii* divisio, secundum quam *Objectum Majestatis* dividitur in *res sacras & profanas*, & hæc rursus in *bellicas & Civiles* (ita, ut *tria palmaria inde Regalia* seu *Jura* resultent) sic, quin ex simili funda-

fundamento æquè commendare se possit hæc quoque Divisio, quæ *Majestatis Objecta* diceret esse vel *Personas*, vel *res & bona*, ita, ut potestas circa illas, *Imperii*, potestas circa hæc, *Dominii publici* nomine venirent, & utrumque quidem Jus, pro sua, qua gaudet, amplitudine, in alias rursus partes, aut membra minora, dispesceretur, haud dubitandum. Dignissima lectu hic nobis propinat *Hornius* in *Polit. Architect.* II. 2. n. 3. usque ad 13. (qui & seqq. numeris usque ad §. 1. finem *divisionem Majestatis in sua Fura* non inconcinnam proponit, ipsi ejus Commentatori *Epsleinio* non displicentem) nec non D. N. HENNING in Lib. sæpe laudato, de *Potest. Imper. &c.* Cap. 9. §. 1.

CAPUT III.

Epicrisin ipsam continens.

THES. XXI.

HIs ita præmissis, stratam nunc esse viam putamus, quæ eò nos ducat, ut de supra recensitis significatibus certius promere judicium, optimumque inter illos (salva celeberrimorum Virorum, à quibus dissentimus, Autoritate) pro nostra philosophandi Libertate, eligere queamus.

XXII. Nempe enim, ut ordineretrogrado, ab *ultimo*, eoque *lastissimo* significatu incipiamus, ille si penitus consideretur, præ ceteris *obscurior* atque confusior apparet, idemque in Doctrina Politica sive nullum, sive per exiguum præstare usum videtur. Ipsa enim certè, quæ significatui huic aptatur, *Definitio*, tantùm non integræ *Majestati* applicari potest, minimùm, qua *Fura* illa singula complectitur, quæ *immanentia* sive *interna* (hoc est, quæ Majestati respectu subditorum suorum sive partium in sua Republica competunt, nec Reipubl. limites egrediuntur, nec abesse à Majestate possunt, sicut ea definitivè *Zieglerus* de *Jure Majest.* I. 2. 26.) vocantur; cum tamen celeberrimi Authores, significatui huic suffragantes, *Dominium eminentis* vel ut contentum aliquod sub aliò Majestatis Jure, vel ut separatim aliquod è complexibus considerent, quorum prius in *Grotio* elucet-

Trutinatio
significatus
quartus

elucet, quippe qui Lib. I. Cap. 3. §. 6. postquam recensuisset eas partes, quæ versantur circa res Civium, ut Vectigalia, & his similia, subiungit: *in quibus comprehenditur* (ergo Dominium eminentis non ponitur Jus Majestatis ab hætenus enumeratis separatim,) & *Dominium eminentis, quod Civitas habet in Civem, & res Civium ad usum publicum.* Id quod in Grotio bene quoque observavit Epsestinus, loc. cit. p. 290. Posterius in Conringio & Bæclero apparet, utpote à quibus *Jus, exempli gratia, leges ferendi, monetum cudendi, Judiciorum, Vectigalium, Comitiorum &c.* tanquam Jura à Dominio eminente separata seu distincta, agnosci constat. Bæcleri enim clarissima hæc sunt verba, quibus in Commentar. P. I. p. 86. *Dominium eminentis* Juribus talibus contradistinguit: *adea Jura, inquit, quæ unam Reipubl. partem spectant, in quo genere sunt Bellum, Fœdera, Judicia, Magistratus, & similia, non posse referri eminentis Dominium, res ipsa docet, in materia latius patente.* Et Conringii hac de materia Disputatio Thef. 7. similia indicat. *Atque hanc, inquit, Majestatis Civilis in Civem eorumque fortunas supremam potestatem, certam quandam, & peculiarem illius partem comprehendere, non omnem illius in Reipubl. potestatem absolvere, facile patet. Quomodo enim ea, Bellum cum hoste decernere, pacem ac fœdus inire, Magistratus creare, leges ferre, inque nocentes severa quadam vindicta animadvertere, diversa plane potestatis civilis Jura esse dicuntur; ita certe etiam, eminente imprimis belli Tempestate, subditos ad arma vocare, nova eis tributa imperare, partem bonorum detrabere, ipsos denique Civem integrasque Regiones alienare, non nisi singularem & diversam ab aliis potestatem arguere possunt.*

XXIII. Nec etiam apparet, quanam excogitari definitio possit, per quam ita significatus hic circumscribatur, ut *distincta* Juris hujus ratio a ceteris Juribus, cum quibus illud confundi ipsi significatus hujus Patroni prohibent, pateat. Sicut verò, quæ Thef. 16. supra conspicitur, *Dominii eminentis definitio Majestatis, secundum Jura sua immanentia seu interna spectata,* potius convenit; ita si quis repudiata, de qua nunc diximus, Jurium Majestatis, vulgò re-

centis-

centiorum, à Dominio eminente Distinctiones, jura illa, ut *partem* potius *Dominii emin.* in tam lato significato sumpti, agnoscere, quam definitionibus his renuntiare mallet, nomen tamen *Dominii eminentis* non ad eò aptum rei huic exprimendæ videri posset, si, quæ Th. 18. docebantur, attentius pensitare placeat.

XXIV. Id quod alios eò quoque compulisse videtur, ut *penultimum significatum* potius seligerent, cum strictiori cuidam favere & ipsi nollent. Quo compulsum fuisse *Cl. Becmannum* Medit. Pol. 21. Thes. 3. colligitur, cum scribit: *Conditioni transferendi aliquid ad necessitatem publicam maximè opus est, nisi illud cum Majestate confundi velimus; aut si ipsi satis est, esse summam in Republ. potestatem, disponendi de rebus privatorum, jam nihil in Majestate peculiare, sed ipsa Majestas erit, cujus Objectum in Republ. Persona, Res, Actiones privatae & Subditorum omnes.* De quo *significatus* si nunc etiam sit judicandum, haud inficiamur, minore eum, atque ante dictum, premi incommodo. Nam neque *definitio* illius ceteris, quas de Jurium Majestatis divisione Fautores illius conceperunt, hypothesebus reclamant, neque inconcinna videri potest illa tam diversorum objectorum ad unum genus *extraordinarii*, seu *extremae necessitatis casus*, revocatio. Per hoc enim, quamvis non Jus aliquod Majestatis *Objecto* à ceteris Juribus, vulgò recensitis, distinctum admittatur, nihilominus distinctio quædam respectu *modi* per Majestatem agendi insinuatur; quando quidem ex variis fundamentis Majestas dividi non abnuit. Eximia enim plane sunt, quæ clariss. *Becmannus*, pro hac divisione sua, loco jam cit. tradidit, qui videatur amplius. Unum tantum est, quod ab hoc significato nos revocare potest, quod nempe *Dominii eminentis* vox declarandæ rei huic tam apte non inferviat, quam voces aliæ, utpote *extraordinarii* vel *necessarii* (quippe quæ clariore hic videri possint, præ voce *eminentis*) & præ voce *Dominii* (quam Thesi superiori 18. Imperio rectius contradistingui, quam ad illud extendi, monstrabatur) vox *Juris*, vel *Potestatis*, ut scil. appelletur *Potestas quoad extraordinaria*, seu *Potestas extremae necessitatis*, sive *Jus extraordinarium*, seu *Jus extremae necessitatis*.

Significatus
terciii

Primi & secundi.

XXV. Duo priores restant *significatus*, ad trutinam exactius quoque revocandi. Quos quidem modò expensis vel ideò præferendos arbitramur, quòd *claritate* se magis commendent, & *Jurium Majestatis distinctioni*, ex parte *Objecti* instituendæ, quàm optimè congruant, de quo vid. Thef. 18. & 20. Sic enim *Dominium eminens* cum *Imperio* non confunditur; sed prout in *Jurium Majestatis* specialiori enumeratione fieri par est, accuratè ab eo distinguitur, ipsiq; *Majestatis* Doctrinæ lux major inde accenditur.

Secundus eligitur

XXVI. Quodsi vero amplius utrorumque horum significatuum quædam fiat collatio, atque, an *strictissimus* (qui in superiori recensione *primus* erat) *minus stricto* (qui *secundus* ibi fuit) præponderet, profiteri cogamur, præ *strictissimo minus strictum* eligimus, eique calculum nostrum intrepidè damus. Quamvis enim cum nemine propterea litigaturi simus, si quis *Dominium eminens* ad *extraordinaria* restringere malit; quia tamen etiam extra necessitatis illos casus *Majestati* circa *Subditorum* bona actus ejusmodi exercere quam plurimos licet, qui de *Dominio* aliquo, *Majestati* circa *Objecta* talia competente, satis testantur, (vid. Thef. seq. 31.) voxque *emin. Domini* tali non solum non repugnat, sed & pulcherrimè in illud quadrat (secundum Thef. 18.) ac significantius porrò vocabulum suppetit, *Dominio* illi in casibus necessitatis exprimentido, sicut ex Thef. 24. constitit; ex hac ipsa causa significatum hunc ceteris omnibus præferendum duximus.

Definitiones illius defeduntur

XXVII. Quare, quæ supra Thef. 14. recensebantur *Authorum* quorundam *definitiones*, conceptum *emin. Domini* latis clarè distincteque exprimere nobis videntur, neq; ulla illarum sic comparata, quin defendi plausibiliter possit. Verbis enim magis quàm re ipsa inter se discrepant, & quòd prolixius unà, concisus altera effert. *Hornianus* verò quàm brevissima, ceterarumque velut compendium apparet: cujusmodi definitiones *Scholarum* nostrarum *Genio* plerumque etiam arrident: cui ultimæ definitioni tamen clarioris expressionis gratia, verba ad *usum publicum* adjici posse, arbitrat *Epsteinus*, p. 278. Nec carpi dignus mihi videbitur, qui, propinquo etiam ad scito

scito genere, sic definiturus esset, quod sit *Dominium in possessiones & bona Subditorum ad usum publicum*. Quod si enim ex eo forte carpendam definitionem hanc putares, quod *definitum* in ea *ingredietur definitionem*: nihil ageres; quia in definiendis iis, quæ *terminis complexis* constant, nihil prohibet, alteram, quæ ut jam nota supponitur, vocem in definitione repeti, alteram tamen, quæ ignota, vel minus clara esse supponitur, definiiri.

XXIIX. Ac si quis amplius definitionem talem idèd improbandam crederet, quòd, cum *Dominium emin.* pro *Dominio vero* ac *proprie dicto* haberi nequeat, *Generis* quoque locum tanto minus subire in definitione queat, nec inde maculam quandam definitio illa contrahet; cum nulla ratio satis prægnans afferri posse videatur, quæ à *veri Domini* participatione *Dominium emin.* necessariò excludat. De quo, ut *Domini emin.* conceptus tanto fiat illustrior, explicatius aliquid ad huc dicendum existimamus.

XXIX. Novimus eaim utique, in quaestione, *an Dominium emin.* Dominium emin. an verum Dominium, sit *Dominium verè proprieque dictum*, decidenda nequaquam consentire Viros eruditos, ut, qui ex *Authoritate* litem hanc decidendam sumeret, utramque sententiam tali munire præsidio posset. Itacertè *negativam* propugnantes invenias, inter celeberrimos *JCos*, *Hab-* Negant alii. *num* (cujus vide *Commentar. ad Wesenbecium Digest. de A. R. D.* qui n. 4. v. *Princeps* in bonis subditorum) *Valentin. Guilielm. Forster* (cujus evolvatur *Liber de Domin. emin. Cap. V. Membr. III. n. 42. p. 39.*) & *Zieglerum* (cujus *Textum* supra citavimus) nec non *Wilhelmum Leiserum* qui integra eaque proluxa *Dissertatione* pro *Imperio* contra *Domin. emin.* adversus *Joh. Frid. Horn.* demonstrare conatus est, *Dominium* hoc *proprie dictum* non esse) Inter *Philosophos* *Joh. Reinhard. Hedingerum* in *Conspectu naturalis Jurisprudentiæ* p. 286. *affirmativè* verò disputantes itidem Viros alios (& fortè plures) *JCos* & *Philosophos* probatissimos; inter illos quippe *Grotium*, Affirmant alii. *D. N. HENNIGEN*, *Clasen. Hornium*, *Epsteinium* loc. supr. cit. *Graswinkel*. de *Juribus Majest. cap. 9. Dn. à Kulpis* in *Colleg. Grot. p. 7. inter hos Conringium* loc. supr. cit. *Bocmann. Medit. 21. §. 5. Sub-*

tilissimus *Bæclerus* parum abest, quin nomen suum inter hos quoq; profiteatur, cum perquam notanter dicat : *In Jure præem. Domini, non quamvis & communem ordinationem summa potestatis animadverti, sed exerceri actus, verissimo Dominio debitos, in Comment. suo Grot. P. I. pag. 93.*

XXX. Sed enim cum Virorum doctorum Autoritas (utpote utrinque alleganda) controversæ huic quæstioni vix sufficiat; *Majestatis in bona Subditorum potestas*, nec non *Dominii natura* attentius consideranda, hæcque cum illa propius conferenda fuerint.

Affirmativa
adstruitur

XXXI. Quando igitur (vel ipsis illis contententibus, qui *Dom. emic. pro Domini proprie dicto* agnoscere nolunt) *Majestas*, seu suprema in republica potestas, circa Subditorum bona nunc acquirenda, nunc conservanda, nunc administranda, nunc alienanda, plurima quam liberrimè pro usu Civitatis disponit, ordinat, præcipit (cujus luculentissima documenta sunt leges comerciorum, prohibitiones emendarum & vendendar, importandar, & exportandar rerum: Leges tutelares LL. usucapionum, vel aliarum translationum unius Dominii ad alium) nec non ex Subditorum, tam perpetuorum quam temporarium bonis patrimonium publicum colligit (utpote dum tributa & vectigalia imponit) in pœnam bona confiscat, de emigrantium bonis portiones certas detrahit, quin &, necessitate aliqua flagitante, eximiam honorum partem (quandoque etiam omnia) Subditis auferit; quando inquam tali Jure seu potestate *Majestas* gaudet, eaque, salva essentia sua, privari ne quidem potest; quid ob stare quæso putemus, quo minus non tantum nomen *Dominii*, sed & *rem*, nomine hoc expressam, *Majestati*, in quantum circa objecta dicta versatur, transferibamus, Jusque tale *Dominium proprie dictum* appellemus; cum, ut *Bæclerum* loquentem modò audivimus, actus exerceat *verissimo Dominio debitos*, adeoque ex hisdem plane rationibus, quibus vulgare *Dominium*, hoc est, quod Subditi in bona sua habent, quodq; *proprie dictum* esse nemo negat, hoc *Majestatis Jus Dominium* quoque *proprie dictum* haberi mereatur?

XXXII.

XXXII. Neq̄ est, quod ullam *Dominii* Definitionem ab adversa ^{Per defini-} sententiæ Patronis proculsam fuisse putes, quæ *Dominium emin.* ab ^{tionibus Do-} amplexu suo excludat. Sive enim cum celeberrimo *Jcto Habnio* ^{minii,} ad *Wesfenbec.* Paratit. de A. R. D. n. 2. dicas, *Fus* esse, quo *res corporalis propria* est; sive cum celeberrimo *Dno Chr. Thomasio* ex *Jurisprud.* Div. II. 10. 37. *Dominium* statuas esse, quo *res aliqua alicui propria* est; sive cum illustri *Puffendorf.* de J. N. & G. IV. 4. 2. exprimas, quando alicujus rei velut *substantia* ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo non pertineat ad alium; sive cum *Bartholo.* definias *Fus* perfecte de re corporali disponendi, quatenus lege non prohibetur; sive cum *Hedingero* in *Conspectu Jurisprudentiæ naturalis* part. II. Sect. III. Tit. 8. n. 10. p. 280. circumscribas, quod sit *Fus* rem sibi propriam habendi, eã libere administrandi, ea utendi, fruendi, eamq̄ alienandi. Sive cum *Hornio* II. 4. 9. 2. voces, potestatem perfecte de re corporali disponendi nullam harum definitionum quicquam in se continere arbitramur, quod *Dom. emin.* repugnet. Quamvis enim *ultima*, ad quam *Hornius* provocat, præ reliquis obstare videretur, eò quod *perfecte dispositio* nis mentio in ea fiat, ipsi tamen *Dominio emin.* quam scitissimè ab eo applicatam esse cernimus. *Perfecte* inquit cit. loc. §. 9. n. 16. & seqq. est illa *Principis potestas*, hoc est, secundum *Moralistarum* formulam, habet *Jus praelationis præ suis* subditis in *Jure disponendi* de rebus privatis. *Sola Majestas* est in *Republ.* qua modus transferendi *Dominii* constituit, quibus alligatur *Subditi Dispositio*; in istius manu novæ acquirendi proprietatum figuras introducere, pristinas immutare, atque adeò coërcere *dispositionem privatam*, aut novis legibus circumscribere. *Perfecte* illa & *propria facultas* disponendi in eo maxime illucescit, quòd *Dispositio privatorum* nihil valet sine *Dispositione Principis*: hec autem illi suam *substantiam* largiatur, eandemque possit planè evertere: Ad hoc ipsum enim, ut evertatur *privata* disponendi potestas, amplior atque *prolixior superiori* accedat *disponendi facultas*, oportet. Illud verò demonstrari posset ad oculum omnibus illis *Dominii eminentis effectibus*, seu *operationibus*, quibus eripiuntur *privatorum res & sub-* trahun-

trahuntur eorum dispositioni. Ad illustriores retulerim extraordinariam illam occupationem privatæ possessionis, quam civiles rationes sibi postulant, item revocationem prodigæ donationis ab Antecessore potissimum factæ, multas item & bonorum publicationem ob delicta, nec non omne impedimentum prodigo positum, ne dispenset de rebus suis. Ut & jus detractionis usurpandum, in bona emigrantia Civis, Usucapionum introductionem, & si quid aliud est privati Dominium suspendens, aut eripiens. In his omnibus deprehendes perfectiorem Principis potestatem, superantem pluribus modis illam singulorum dispositionem. Ut Jure Domino & justo possessori eripatur aliquid, excellentior aliqua potestas de rebus legitimi DNI disponendi, præsupponatur oportet. Ut hominem aliquid delinquentem pecuniariâ pena castigare queat Princeps; in pecuniam castigandi habeat potestatem, ut invito Possessori queat extorquere: Prodigus nullum hæcenus designavit delictum, nisi quod liberalitatem incantius exercuit. Supervenit Majestas, & interdictione bonorum docet, quousque illud verum sit, quemlibet suæ rei arbitrium ac moderatorem esse. Ut per Usucapionem Dominium alteri eripiat, alteri adjiciatur, à proprietate illa disponendi Imperantis procedit. Major scilicet potestas minorem in his talibus absorbet, & sublimior omnino est facultas disponendi, quæ alterius dispositionem sistit, & extinguit. Unde clarissimè patet; Imperatoriam seu Majestaticam illam potestatem disponendi de rebus privatorum adeo perfectam, ut contra Dispositionem & Voluntatem Possessoris Jure valeat, verissimum esse Dominium.

Per analogiam Majest. Div. & hum.

XXXIII. Quod si insuper ad animum revocemus Divinam Majestatem, in humana Majestate, velut in speculo, radiantem, cuiusque ratione supremi Terrarum Cœlique Monarchæ Vicarios & Ministros referunt, quotquot Civitati alicui regendæ præsunt; novum hinc argumentum pro asserenda hujus Domini Veritate nobis subministratur, ex hac utriusque Majestatis Analogia emanans. Quidni enim, cum DEI T. O. M. totiusque hujus Universi Rectoris potentissimi, Majestas non Imperium tantum aliquod in homines; cete-

ceteraque agentia ratione prædita, sed & *Dominium* in res & facultates eorum verissimum tam necessario importet, ut neutrum horum denegari illi, citra sacrilegii crimen, possit (etenim ne in eas quidem Personas, quas Imperio aliquo humano instructas in societatibus esse voluit, *Imperio* omni, aut in res illas, quas humano Dominio submisit, *Dominio* omni Deus se abdicavit, sed utrumque potius sibi salvum simul esse voluit) quidni inquam *humane Majestati* utramque etiam potestatem, *Imperii* scil. ac *Dominii*, illam in *Subditos*, hanc in istorum *res & facultates*, similiter attribuendam statuemus; eò quòd Divinæ illius Majestatis Imago hæc sit expressissima, & representamen pulcherrimum, eamque exactè haudquaquam referret, nisi, quàm *vero Imperio*, (quod *Personas* regit) pollere statuit, tam *vero* quoque *Dominio* (quod in *bona & facultates* se exerit) instructa agnosceretur? Ecce enim accessorium non hic etiam sequeretur conditionem sui Principalis; *res* scil. *Personam*, possessum suum, Possessorem? ut rectè hic colligit sæpe laudatus *Hornius* S. 10. n. n. loc. cit.

XXXIV. Tantum huic argumento tribuisse constat celeberrimum quondam Theologum, *Joh. Adam. Osandrum*, ut in Commentar. suo Grot. p. 150. hoc solo argumento militet adversus Dissidentes. Cujus proinde verba integra adscribere non verebimur; sic verò ille: *Dicimus Facultatem illam eminentem sive Domin. emin. fundari in ipsa Majestate sive Vicariatu in his Terris. Ut enim Deus reliquit homini Dominium in suas res, retento Domin. emin. quòd pro ratione Voluntatis sue in quam pluribus actibus ostendit, destruendo, transfereudo &c. Ita cum Rex sit Vicarius Dei in his Terris, facultatem quoque habeat disponendi de bonis Subditorum sub Deo: quòd ipsum evincit, tum Imperium in Personam, qui enim habet potestatem in vitam & sanguinem Subditi, ille multò magis in bona; tum Majestatis ratio, quæ dicit summam potestatem: Summa autem potestas non potest subsistere, nisi concedamus tale Dominium eminentum Jus Regium in Scriptura fundatissimum, de quo I. Samuelis IX. vers. 20.*

XXXV.

Analogie
illius pleni-
or conside-
ratio.

XXXV. Eiusdem *Analogie*, quæ inter *Divinam & humanam Majestatem* intercedit, consideratio id quoque præstat, ut objectionibus nonnullis, quibus impugnari hæc sententia solet, quam solidissimè occurri queat, utpotè cum adversæ sententiæ defensores objectant: *turbari per Dominium eminentis quietas privatorum possessiones; cum ejusdem rei duo Domini haud esse possint.*

XXXVI. Quodsi enim potestas illa, quam homines in res & bona sua, non tantum in hac vel illa *Republ.* (ubi potestas illa perquam limitata & circumscripta apparet) sed & *extra Rempublicam* in *Statu Libertatis naturalis* (ubi laxior multo & plenior illa potestas esse cognoscitur) habent (quamque *verum* propriè dictum *Dominium* esse, omnes cum *Juris Naturalis* tum *Civilis* DD. unanimi consensu ac ore fatentur) quodsi inquam potestas hæc sive *Dominium* nequaquam obstat, quo minus eminentissimum illud, quod supremum Numen in res nostras habet *Dominium*, *veri Domini*, nomen ferat, ac tueatur; cur *Subditorum*, quod in res suas habent *Dominium*, obstatè existimabimus, quo minus *veri Domini* naturam & essentiam in *Domin. eminenti*, quo supremi in *Republ.* Imperantes fruuntur, agnoscamus, idque citra omnem utriusque *Domini* confusionem? quandoquidem, uti *Dominium hominis*, quod in eum cadere potest, perfectissimum, *Dominio* *DEI* sic *Subditorum* *Dominium* ipsi *Imperantium*, *Dominio* quam subordinatissimum apparet, omnemque aded confusionem *subordinatione* sua evitat ac tollit.

Objeccio
palmaria
dilatatur.

XXXVII. Quo simul intelligimus, palmaria difficultate illa, quæ a lios, ut *Dominium* *emin.* *verum Dominium* esse negarent, coegit, ceteros æquè percelli ac moveri haud posse, qui *subordinationi* huic ritè attendunt. Certum enim est, ab agnoscenda *veri Domini* hujus natura plerosque per id maxime retrahi, quod ad *restrictam* illam & *limitatam* *Imperantium* in *Subditorum* *bona potestatem* nimis quam respiciant, quæ Imperantes (ut inquirunt) *Subditorum* rebus *pro lubitu* uti non sinat, sed tum demùm, si res ita postulet, & *justa* *subsit causa* (hoc est *publica utilitas & necessitas* id requirat, ac po-

ac postulat, cujusmodi quid in *vero Dominio* nequaquam obtinere arbitrantur, quo competente videlicet, *pro lubitu* rebus, quæ nostræ sunt, *uti*, imò &, *abuti* possimus. Sed enim expendere hos simul etiam oportebat, in omni *Dominiorum subordinatione restrictionem* seu *limitationem* ejusmodi occurrere, secundum quam *Dominium* alterum per alterum restringatur, sic, ut neutrum illorum *Dominium plenum*, sed *minus plenum* potius utrumque haberi debeat; ideoque *Dominium plenum à vero* accuratè secernendum, sollicitèque inter utrumque discernendum esse, neque à negatione *pleni* *Dominii* ad negationem *veri* collectionem firmata fieri: sequeretur enim aliàs, nec *vulgare* illud *Subditorum* in *Civitate Dominium* (quod *verum Dominium* esse, ipsi illi, quos inter hæc lis reciprocatur, negare nec possunt, nec volunt) imò nec ullius hominis *plenissimum*, quod in ipsum cadere possit, *Dominium*, *verum Dominium* esse; eò quod *vulgare* illud *Dominium* in *Civitate à Dominio eminente*, cetera verò etiam quævis hominum *Dominia* (quàm *plenissima* licet sint) per *Divinum Dominium*, cui non subordinari ipsa non possunt, valde restringi sentiant.

XXXIIX. Quam causam etiam arbitramur, quod *Bartholus* in supra cit. definit. sua, qua *Dominium Jus* esse dixit, *perfectè de re disponendi*, hæc insuper verba prioribus adjecerit, *quatenus lege non prohibetur*, clarè hoc ipso innuens, *Dominia minus plena* è censu *verorum Dominiorum* non penitus esse ejicienda.

XXXIX. Similiter certe cum *potestate in Personam*, sive *Imperio*, quippe quod *Dominio* seu alteri *potestati in bona*, contradistingui plerique etiam patiuntur, comparatum esse cernimus, ubi scil. *Imperium* unum alteri, citra omnem confusionem, subordinari frequentissime experimur, ut tamen neque *subordinans*, seu altius, neque *subordinatum*, sive inferius, *Imperium* esse propterea desinat, quod alterum per alterum circumscribitur. Tam enim, exempli gratia, *Imperium paternum, herile ac maritale*, quàm *Imperium Majestaticum* veris *Imperiis* accenseri constat; utut in *Civitate priora* subordinantur *posteriori*; nullumque illorum, in quantum sibi sub-

D

ordinan-

ordinantur, plenam Imperii mensuram impleat, non secus ac ipsa Majestas civilis Majestati divine subordinatur, neque hanc tamen veri Imperii nomine privat, nec ipsa Imperii naturam exiit.

**Objectio 2-
ta solvitur.** XL. Nec verò metuendum erit, ne ex asserto vero Domini emittentis *Dominio* Principibus lata porta aperiatur, *Dominio* hoc abutendi, atque in Subditorum bona facultatesq; propterea grassandi, quòd veri *Domini* natura sic ferat, ut rebus, illi subjectis, pro lubitu uti & abuti liceat. Etenim quod posterius attinet, abuti re sua, nequaquam naturalis aut necessarius *Domini* effectus est, quin potius naturæ ejus repugnat. Omne namq; *Domini* Potestas est; Potestas verò nihil aliud, quàm potentia Jure concessa, seu Juri non repugnans: sicut è diverso abusus omnis illicitus est ac injustus; quia res nulla nobis à Deo in id concessa, ut abuti ea nobis liceat. Hinc certè vulgaris illa locutio, cuius supra quoq; in verbis Pufendorffii fiebat mentio, in *Domini* subordinatis est quàm falsissima, nec fortè aliter salvari potest, nisi à *Domini* subordinatione (quæ sane *Domina* humana ad unum omnia, si non humani semper, Divini saltem *Domini* respectu, nunquam non stringit) mente quasi abstraxeris, aut rò licitum ad Jus externum retuleris; quo respectu sæpissime homines abuti bonis suis possunt, ut propterea tamen per alios homines, quibus in *Dominio* illo non subordinantur, coëreeri nequeant.

XLI. Et si nunc per modo dicta omnis legitime rei usus rationem aliquam vel causam supponere semper debet (cum citra hanc actionem talis temeraria profus, indeque culpabilis, futura esset) nec emin. *Dominium Domini veri* naturam ideò amittet, si non nisi certa ex causa vel justa ratione (quam Reipubl. finis determinat) effectum suum edere possit dicatur. Sique insuper *Dominium emin.* in se & natura suâ consideratum nihil injusti vel iniqui involvit, vel importat, abusus quoque ejusdem sufficiens causa non erit, cur *Dominium emin.* veris *Domini* accensere erubescamus, vel nomen ejus è Politica & Jurisprudentiâ penitus expungendum esse, censeamus; tanquam illius nominis ad Majestatem applicatio Principibus periculosa valde evadat & probrosa (quomodo celeberrimum Zieglerum de hoc

hoc conquerentem supra audivimus) quidni enim complura similis
 farinæ nomina, utpote *Summe Potestatis, Summi Imperii, Majesta-*
tis &c. pariter exterminanda atque abolenda essent, quibus certè
 æquè abuti Imperantes possunt, ac sæpius proh dolor! solent. Tam fa-
 cili certè negotio sub specie *Imperii* quàm *Dominii* invadere bona
 Princeps potest, ut rectè ait *Hornius* loc. cit. n. 9.

XLII. Ceteris Objectionibus cum ab *Hornio* in Polit. Archit. Compensa-
 tio an re-
 quiratur
 Lib. II. Cap. IV. §. 12. usque ad 14. & à DNO HENNI GE sæpelauda-
 to Cap. IX. §. 2. & 3. ingeniosè sit factisfactum, eò Lectorem cupidum
 amandamus, illam duntaxat Objectionem, quæ à *compensatione da-*
mini, Subditis quandoque per Dominium emin. dati, peti solet. solici-
 tius adhuc ponderaturi.

XLIII. Nec enim adeò levis aut contemnendus scrupulus est, quæ
 Philosophos pariter ac JCtos hîc urget, atque ita urget, ut compen-
 sationem hanc alii necessariam esse *assument*, alii *negent*; cum
 utramque sententiam sua premat difficultas, & *priore* admîsâ, Do-
 minii veritas, *posteriore* verò, Civium æqualitas valde periclitari vi-
 deatur.

XLIV. Itaque ut hîc scrupulus tanto facilius nobis eximatur,
 certa prius, quæque in confesso utrinque sunt, ab incertis & contro-
 versis hac in quæstione separabimus. Et primò quidem quòd æquitas
compensationem hanc suadeat, ne quidem ab ipsis illis, qui compen-
 sationem aliàs necessariam esse, negant, (quos inter est *Hornius*, citato
 loco, §. 20.) negari audias. Sed an, *Jure strictius* ita dicto, ex Domi-
 nio emin. agentibus compensatio illa incumbat, majori expositum
 dubitationi cernimus. Ubi tamen iterum non tam de *Jure* exter-
 no, quàm de *interno*, contenditur, cum circa *Jus externum* itidem
 amica quædam Authorum observetur conspiratio (de qua vid. *Ep-*
stein. loc. cit. pag. 381. nec non *Baclerum* pag. 133. Commentarii sui)
 Quin & *objecta Dominii* hujus si respicias, non tam de eo viget con-
 troversia, utrum, quod *mutui* nomine, *sine compromisso restitutionis*,
 à Subditis fuit acceptum, compensationem exigat. Id quod rursus
 negare non audent, qui in ceteris dissident. Sed de eo potius quæ-

Stat9 quo-
sitionis.

Negativæ
sententia

Cum affir-
mativa

ritur : an si *extra mutuum*, aut *factam restitutionis promissionem*, ablata quædam Subditis fuerint, aut destructa, sive corrupta, *Jure interno*, seu quoad *Obligationem in Conscientia*, ad ea compensanda Princeps teneatur ? circa quod jam *negativam* amplecti quibusdam placet, utpote *Hornio*, DNO HENNINGI laudato, locis citatis, *Conringio*, aliisque. Cujus postremi textus clarissimus extat in aureo Tractatu de finib. Imperii. Cap. 19. pag. 351 *Utrique in omni societate, etiam maxime civili, quilibet saluti publicæ est obstrictus re & corpore. Sarcit quidem acceptum damnum Respubl. si potest, at magis in premium, quam ex debito. Itaque si non potest, necessarium est, ut pars quæque ferat, quod mutari non potest, ob reliqui corporis salutem.* Alii *affirmativam* propugnare malunt, utpote *Bæclerus*, *Leiferus*, *Epsteinus*, *Clasen*, loc. cit. *Schilterus* in manud. Philof. moral. ad Jurisprud. Cap. 8. §. 70. pag. 354. Et *Bæclerus* quidem *compensationem fieri debere putat, usque ad partem, quam pro virili debebat contribuere, qui totum damnum perpeffus est.* Item, *si in presenti Civitas resarcire damnum nequeat, in futuram teneri: amplius, totius Civitatis Viribus faciendam*, monstrat. Id quod *simili* quoque perquam eleganti illustrant hujus sententiæ Fautores, desumpto scil. à *levata per jactum navi*; ubi ad compensationem tenentur, quorum res in portum salvæ deducuntur; sic enim in Republica omnium quoque largiendum contributione, quod pro omnibus datur; cum Societatis regula socium cum detrimento alterius locupletiolem fieri vetet. Id quod certè non sine insigni specie dicitur, hancque sententiam plausibilem valdè & commendabilem reddit, nostrumque assensum ex parte impetrat: *ex parte dico*; quia nec priori sententiæ calculum nostrum penitus subtrahimus, aut denegamus; cum ex vero aliquid & ipsa trahere nobis videatur, ut statim constabit.

Concilia-
tione,

XL. Quomodo verò, inquires, compensatione opus erit, si Dominium emin. sit *Domin. propriè dictum*? Ad quod respondemus: compensationem illam in emergentibus Subditorum dampnis non requiri *in se*, aut respectu ipsius Domin. emin. sed ex *accidenti* tantum, & qua-

& quatenus aliqua inter plures damnum passos, & inter reliquos aliqua emergit *inequalitas*, necessariam videri. Eminens enim potestas in Republica sic exercenda est, ne *inequalitas inter Subditos* oboriatur, cujusmodi tamen oppidò emeritura esset, si ceterorum commodo unus altervé premeretur, damnumque sibi datum devorare, patienterque concoquere teneretur. Ac singula insuper Societatis talis membra cum ad bonum publicum etiam cum detrimento & jactura propriorum commodorum procurandum jurejurando semet obstrinxerint; quidni etiam ipse Supremus Imperans ad jacturam, quam unum aut plura ejusmodi membra habent, refarciendam obligatum sese credat? Et quidni, hoc supposito, Reipubl. Rector & Moderator ad *aequalitatem* illam inter membra Societatis suæ procurandam, utpote à qua Reipubl. salus & tranquillitas maximè pendent, & ad quam promovendam ipse ille quam obligatissimum se esse, percipit, devinctus eidem censetur?

XLVI. Si dixeris: singulos quoque non ad bona tantum, sed ad vitam ipsam, pro Reipubl. impendendam, se obligasse, quæ tamen refundi non possit: ergo nec honorum jacturam refundendam esse. Respondemus: Compensationem intelligendam esse de rata parte, ubi haberi potest, quod circa bona accidit. Si rursus istes; circa bona etiam jacturam ejusmodi emergere posse, cui faciendæ non reliqua Civium bona sufficiant: respondebitur: *Si hoc tempore impar sit Reipubl. in futurum obligatam censeri, ut, si copia scil. suppetere incipiat, exserat se, sicut quasi ante, obligatio*, ut clarissimi Bæcleri verbis uti mihi liceat. Secundo si impossibilitas adsit; cessabit obligatio, hanc ipsam ob causam; non verò, quod Majestas aliàs non teneretur, quæ, si quid aliud, *Subditorum aequalitatem* in Reipubl. sollicitè conservare maximeque promovere debet.

Objectiones solvuntur.

XLVII. Sicut verò ex ratione jam dicta, hoc est, ob illam, qua damno suo aliorum commoda promovere Subditis incumbit, inæqualitatem, *compensationis* quandam *necessitatem* lubenter agnoscimus, idque salvo, quod Majestati vendicamus, Dominio fieri, opinamur; ita in ceteris casibus, ubi aliorum Subditorum Jus sive *aqua-*

litatem non æquè violari perspicimus, utpote si eadem necessitas omnes stringat, idemque damnum ad omnes redundet, *compensationi* huic locum nullum quoque damus, *negativa* Authorum *supra* eit. sententiæ catenus subscribentes. Ex quo & hoc consequitur, si sua culpa in *inequalitatem* illam Subditorum aliquis incidat, ut scilicet providere potuerit, hoc damnum sibi datum iri, & nihilofecius incertæ forti rem suam committat (e. g. *Ædes* ibi ædificando, ubi defectum iri, propter incurrentis hostis periculum, noverit) *compensationem* damni talis, neque Subditum à Majestate exigere, ullo modo posse, nec, qui Majestate tali fulget, ceteros Reipubl. suæ cives ad sarcendum illud adigere teneri.

XLIX. Hæc de *claro distinctoque* Dominiî Eminentis *conceptu*, Academici Exercitiî gratia, dicenda habuimus: quæ Lector benevolus æqui bonique consulere dignetur. Ne tamen, quod hæc in pagella redundare videbatur spatium, inane relinqueretur, notabilem in super locum, ad pleniorum illorum, quæ th. 36. & 37. supra leguntur, illustrationem, è supra laudato EXCELLENTISS. DN. HENNIGIS libro de Summa Imperat. Rom. Potest. circa Sacra, annotat. ad Cap. IX. §. 2. p. 92r. huc transferendum, eoque Dissertationem nostram quasi obsignandam putavimus. *Hac consideratione* (inquit VIR Ingeniosissimus, cum in *Dominiourum succenturiatione* semper inferiori *decedere* aliquid, quod superius sibi vindicat, ut pleni nomen, habito ad alterum respectu, non mereatur, ipso in textu scilicet docuisset) plenum non est in hac mortaliurn vita Dominium; quia summum & plenissimum apud solum Deum, cui non tantum humana omnia subjacent; sed sæpe etiam in usu suo atque effectibus impediuntur, aut omnino tolluntur. Pro pleno Dominium illud haberi non potest, à quo me alius excludere pro suo sensu potest. Et tamen ludit Numen Dominiis nostris, velut joculari *pila*, ac modo, quæ his eripuit, adjicit illis. Adeoq; hic est Dominiourum ordo. Primum Divinum, quod unum absoluto loquendi modo plenum. Deinde humanum, quod cum illo collatum, imperfectum & minus plenum; plenum verò, cum abstrahitur à Divino, & in se consideratur. Inter humana Dominia post modum rursus

rursus sunt aliqui gradus constituti. Cui enim nemo inter homines usum Domini sui interpolare potest, plenissimum dicitur possidere; quale est eorum, qui extra rempubl. vivunt, ut olim patresfamilias segrege; & hodie Reges, Principes, qui in Civitate imperium habent, publicorum bonorum nomine, de quorum certa directione aliis nihil stipulati sunt. Cujus dominia verò per alium regi commoderari possunt, aut qua non ad omnimodam usum libertatem, quanta inter homines naturaliter datur, pertingunt, domini minus pleni nomine recte veniunt: quemadmodum est illud omnium in Republ. Civium, quod multis modis à legibus aut temperatur, aut in libero cursu detinetur: imò ipsum Eminens Dominium; quia non constat pleno & quotidiano usu. Attamen sicut humana dominia interdum abstrahere à Divino solent, ut pleni nomen mereantur; ita etiam illa civium à plenissimis humanis, & in familiam plenorum se tunc afferunt, quando illa saltem libertate fruuntur, que in legibus publicis communiter ipsis est relicta: quo sensu & privata Jura Domini istis plenitudinis vocem attribuunt. Nam dantur adhuc in civitate alia, qua, quod ne quidem tantum illis indulgeatur, minus plena vocantur.

MANTISSA.

Narrant, Imperatore Henrico Lüzburgico non procul à Bononia arcem quandam Viri nobilis propriam prætereunte, quæstionem motam fuisse: an etiam arx ea Imperatoris esset, duobusq; JCtis diu multumque inter se certantibus, altero quippe (cui Martini nomen quidam imponunt) omnia Imperatoris esse, etiam proprias privatorum facultates, dicente, altero (quem Bulgarum nominant) unumquemq; facultatum propriarum Dominum esse, nec recte dici, Imperatoris esse res proprias privatorum, contendente, ad eam quæstionem decidendam ipsum Imperatorem electum fuisse

fuisse Judicem, facta conventionem, ut equus donaretur victori, cujus precium solveret victus; ab Imperatore vero, in Bononiam reverso, pronunciatum tandem fuisse: recte dici, omnia esse Imperatoris; victorique equum datum. Quam sententiam tamen, ceu iniquam & in propria causa latam, seq. notatam versiculo ajunt:


*Dixerat hic equum; sed tulit alter equum,
sive, ut alii perhibent, sequenti potius hexametro:*

Dixi equum, tulit alter equum, quod non fuit equum.

Quæ si, quemadmodum gesta sint, commemorant (alii enim, utpote Nicol. Bellonus in supputationum Juris lib. 1. c. 1. §. 1. nec non Joh. Bodinus in Methodo Histor. cap. 6. sic potius rem enarrant: quæstionem fuisse inter Lotharium & Azonem coram Henrico Imperatore: an Magistratus, quibus competit merum Imperium, habeat id proprium? an verò usum tantum Imperii, & proprietatem sit penes Principem? & Azonem quidem dixisse: Proprium Imperium habere; sed Lotharium, soli Principi competere, & pro Lothario Henricum pronunciasse. Azonemq; equum amisisse) Quæritur jam; quid de Imperatoris illo responso sit censendum: & Quamvis sententia dicta, eò quod in causa propria ab Imperatore sit lata, suspecta utique videri posset; sitamen in se consideratur, carpi eam adeò non posse; ut potius omnem iniquitatis notam effugere queat, si de Dominio eminente Imperatoris sententiam intelligas.



V. A. B. h. o.



ULB Halle 3
003 620 00X






50. Finis.
Q. D. B. V.
DISSERTATIO LOGICO-POLITICA,
**DOMINII EMI-
NENTIS**

clarum & distinctum conceptum
METHODO ECLECTICA
indagans,

QUAM
**PRÆSIDE
VIRO**

PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
atque DOCTISSIMO

M. GEORGIO PAULO ROETENBECCIO,
Logicæ & Politicæ Professore Publ.
longè celeberrimo, & Facultatis Philosophicæ
h. t. Decano.

DN. PRÆCEPTORE ac FAUTORE suo quovis reverentiæ
cultu et atem prosequendo.

ad d. 29. Jan. Anno MDCCVII.

Examini publico subiciet

JOHANNES FRIDERICUS BÜRGER,
Stuttgartia-Würtembergicus.

ALTDORFI

Literis Jodoci Wilhelmi Kohles.